

PROPEMPTICON  
*Illustrissimis & Celsissimis Sponsis:*

DN. IOANNI GE=OR=GI=O DUCI SAXO=NIÆ, LANDGRAVIO THVRIN=giæ, Marchioni Misniæ, &c.

☞  
DN. SIBYLLÆ ELISABETHÆ,  
ILLVSTRISSIMI ET  
FORTISSIMI HEROIS AC DO=mini, Domini FRIDERICI Ducis VVirtember=genſis & Teccenſis, Comitſ Montis Beligardenſis,  
Domini in Heydenheim, Vtriusque Regij Ordinis  
Gallici, & Anglici adlecti Equitis  
aurati, &c.

FILIAE NATV MAXIMAE,  
Fauſtæ gratulationis & ſubiectiſſimæ obser=vantiaæ ergò, per continuam ſeriem ſtirpis  
Saxonicaæ deductum,

Ab  
*Vlrico Bollingero, Art. M. & P. L. Caf.*



1614









Ad Albim Fluv. Saxon.



*ALBI Pater, pleno qui perfluis agmine ripas,  
Hæc nova quid portet littera nostra vide.  
Siste parumper aquas & nostrum perlege carmen,  
Quod Nymphis pariet gaudia multa tuis.*

*Sunt tibi sintque precor Domini tres ordine Fratres,  
Illustres fratres, Magnanimique Duces.*

*Quos tuus Elector Princeps post fata reliquit  
Hic qui de Christi nomine dictus erat.  
Maximus ex illis tibi gaudia multa creavit  
Romani fœlix Ensifer Imperij.*

*Tempore quo genitam celso de sanguine Regum  
HEDVIGIN duxit sic moderante DEO.  
Quantus erat plausus? quæ iubila lata per undas  
ALBI tuas? & adhuc est ea fama recens.*

*Tempore tunc illo mea VVürtembergica tellus  
Latitæ tecum plurima signa dedit.*

*NECCARVS audivit gratantia carmina Vatum,  
Qualibus egregys est tua terra ferax.*

*Nunc iterum vos Misniaci cantate Poëtæ,  
Et resonent latos carmina vestra modos.*

*Tu Pater ALBI tuas novæ talia sparge per urbes,  
Sparge per Eoas occiduâsq; plagas.*

*VVirtembergiaco Sponsam de sanguine natam  
Ille tuus Princeps copulat ecce sibi.*

*Solvamus Dominis Sponsis bona vota precèsque,  
Vox sonet ad Cælos omnibus una viris;*

A 2

Vt

Christian. I.  
D. Saxon. ob.  
Anno 1591.

Christian. II.  
El. Sax. crea-  
tus An. 1601.  
duxit Hedvvi-  
gin Reginam  
Danicæ 1602.

Ioan. Georg.  
D. Saxon. du-  
cit Sibyll. Eli-  
sabet. VVir-  
temb. 1604.



Vt DEVS his vitam multos concedat in annos,  
Concedat socij gaudia mille torj.  
Perpetuos superet sine Morte Georgius annos;  
Hunc faciat grata prole Sibylla patrem.  
Fælices ambo, donec grandæva senectus  
Inducat rugas inficiatque comas.  
Ecce, favet nobis præsens hic fertilis annus,  
Nescio fertilitas ista quod omen habet.

Fertilitas  
melsis & vin-  
demix Anni  
1604.

Ad postes falcem nunc appendente colono  
Distendit spicis horrea plena DEVS.  
Et pede collectas calcas vindemitor uvas,  
Et musto fervent dolia plena novo.  
Quin etiam Sponsus novus, ipse GEORGIVS Heros  
Dat nobis fidem plurima signa bona.

Encomion  
D. Sponsi, Du-  
cis Saxon. Io-  
an. Georgij.

Est pius, & verbi cælestis cultor, & equi,  
Antiquo patrium tramite carpit iter.  
Conservat templis veteres constanter honores,  
Nec patitur falsis ritibus esse locum.  
Sustentat patrijs fundata lycea sub oris,  
Et tempe doctis artibus apta facit.  
At teneris hic est Musarum castra secutus,  
Fundatus solida legis & artis ope.  
Et iam doctus erat Musas & Apollinis artes,  
Et doctus verum Religionis opus.  
Italicas urbes vidit Romamque superbam,  
Hospes & externo cautus in orbe fuit,  
Disceret ut linguas, Sapientia maior ut esset,  
Hausta foris pariter ceu fuit hausta domi.  
Nunc igitur patrias didicit regnare per urbes,  
Et leges populis & dare iura suis.

Qualis



*Qualis Avus Pius Augustus, qui maximus auctor  
Pacis, & Assertor Religionis erat.*

*Ille DEI verbum magna pietate fovebat,  
Ensifer Imperij Dux, Patriaeque Pater.*

*Qualis & Henricus Proavus, qui primus in orbe  
Misnensi repulit dogmata Pontificis.*

*Aeacidas Graij, nec non Alcmaeone natos  
Et celebrant magno nomine Cecropidas:*

*Scipiadas, Fabios, & fortes Marte Camillos  
Romanj veteres celsa per astra ferunt.*

*Non his Saxonio cedant de sanguine natj,  
Seu pacis spectes seu grave Martis opus.*

*Abluit antiquae VVITIKINDVS crimina culpa,  
Auspicijs ductus CAROLE Magne tuis.*

*Ortus ab hoc aliquot post secula nomine THIMO,  
Virtutis merita premia digna tulit.*

*Accepit latam ditionis Misnidos oram,  
Hos meruit titulos auctus honore novos.*

*CONRADVS tenuit patrios illustris honores,  
Armâq, pro sancta Religionis tulit.*

*Extulit ille soli latos à Cesare fines,  
A Nyssa Dominus factus ad usque Salam.*

*Hinc OTHO Lipsiacam muris circumdedit urbem,  
Non erat argenti non erat aris inops.*

*Hic ubi Friburgum iacet Vrbs ditata Metallis,  
Invenit gazas Plute superbe tuas.*

*Saxonicas DITERICVS aquas obsedit ad Albim,  
Et Lopena vertit mœnia quassa solo.*

*Imperij non servasset Fridericus habenas,  
Si non hic Princeps saepe tulisset opem.*

A 3

HEIN-

Augustus EI.  
Saxon. obiit  
Anno 1556.

Henric. Dux  
Saxon. obiit  
Anno 1541.

VVitikindus  
Rex Saxon. à  
Bonifa. Præf.  
Mogunt. bap-  
tizatur Mitte-  
bachij, Anno  
785. Obiit  
Anno 807.

Conradus I  
Magnus obiit  
Anno 1156.  
Orho Dives  
obiit an. 1189.

Dieterich. I 4.  
ob. An. 1220.



- . Heinrichus I. *HEINRICVS* populis hinc auctus & inde Metallis,  
 Munificus, obiit 1287. *Illustris pariter munificusq; fuit.*  
*Thuringas possedit opes sociosq; Brabanto*  
*Hesiacos nullo Marte reliquit agros.*  
*Heinrici celebratur adhuc argentea quercus,*  
*Vt quondam platanus aurea Xerxis erat.*
- Fridericus Ad *ALBERTI* fugit *FRIDERICVS* vincla parentis,  
 morsus obiit *Ascanios enses Casariosq; dolos:*  
 Anno 1326. *At spolijs redijt, Christo Duce, victor opimis,*  
*Fortiter amissas & reparavit opes.*
- Fridericus *DVX GRAVIS* Imperij *FRIDERICVS* sprevit honores,  
 Gravis obiit *Vendidit hos auro Carole Quarte tibi.*  
 Anno 1349. *Vinarium Comitum sibi tunc subiecit, & omnes*  
*Fluminibus terras quas lavat Orla suis.*
- Fridericus *At patrias auxit FRIDERICVS STRENVVS* crassa  
 strenuus obiit *Huic data per socerum tota Coburga fuit.*  
 Anno 1380. *FORTIS & in sevo FRIDERICVS Marte celebris.*  
 Frideric. Bel- *Edomuit vires seve Boheme tuas.*  
 licosus, digni- *Huic Electoris Caesar Sigmundus honores.*  
 ratem Electo- *Contulit, & gladios & dedit arma Viro.*  
 ralem famil. *Septemvir PLACIDVS, FRIDERICVS nomine dictus,*  
 Sax. acquisi- *In charum fratrem noluit esse ferox.*  
 vit: An. 1413. *Ensifer ERNESTVS devicit Marte Polonos.*  
 Frideric. Pla- *Hic ubi piscosis Odera fertur aquis.*  
 cidus ob. An- *Innocua SAPIENS FRIDERICVS pacis amator,*  
 no 1464. *Cui sine vi victi saepe dedere manus.*  
 Ernestus obi- *Tranquillam Musis sedem concessit ad Albim,*  
 jt Anno 1486. *Nil habuit vera Religionis prius.*  
 Frider. Sapi- *IOANNES CONSTANS, cum Mars serviret ubique,*  
 ens, fundator *Fortiter afferuit dogmata pura DEI.*  
 Acad. Viteb. *IOANNES*  
 obiit 1525.
- Ioannes Con- *IOANNES*  
 stans ob. An- *CONSTANS,*  
 no 1532.

IOANN



IOANNES FRIDERICVS erat fortissimus Heros,  
 MAGNANIMVS Christi signifer ille crucis.  
 Heu quàm funus erat FRIDERICI triste VVilelmi?  
 Saxonica fuerat cui data cura domus?  
 Te fratresq; tuos orbos, ô Sponse relictos  
 Hic custodivit cum Genitrice tua.  
 Duxerat hic etiam forma prestante Sophiam,  
 Quæ VVürtembergo stemmate nata fuit.  
 Illius exemplum sequeris Dux Sponse GEORGI,  
 Ducit. in thalamos Teccia virgo tuos.  
 Non sine re carum nomen gerit illa Sibylla,  
 Omina nominibus saepe subesse solent.  
 Est Christi cultrix, oracula biblica novit,  
 Et quicquid vatum scripta vetusta docent.  
 Quòd si quis Proavos, Abavos, Atavosq; vetustos,  
 Et Sponse celsum querat utrumq; genus:  
 AEternam dudum stirps VVürttembergica famam  
 Sparsit ad Eoas Hesperiasq; plagas.  
 Quis genus Ascanium, quis Matris Anhaltica nescit  
 Nomina, quæ Vatum Musa perire vetat?  
 VVürtembergiacam sic novimus ELEONORAM,  
 Quæ IOACHIME tibi consociata fuit.  
 Talia iam dudum sunt decantata Poetis,  
 Virtutes horum postera turba legit.  
 Albi Pater, Domina nunc ostia pande Sibylla,  
 En, ut cincta viris millibus illa venit.  
 Huic Pater est Princeps FRIDERICVS: nulla tulerunt  
 Secula tam celebrem Magnanimumq; Ducem.  
 EBRARDI Pietas, VLRICI Martia virtus,  
 Et clemens animus Dux LVDOVICE tuus:

A 4

Nec

Ioan. Frider.  
Magnanimus  
obiit 1554.

Frider. V Vil-  
helmus obiit  
Anno 1602.  
Sophia V Vit-  
temb. Frider.  
V Vil. cōiunx  
ob. An. 1590.  
Encomium  
Dnæ Sponsæ  
Sibyllæ Elifa-  
bethæ.

Eleonora  
VVirtemb.  
coniunx Io-  
ach. Ernesti  
Principis An-  
halt.

Encomium  
Domini Fri-  
der. D. V Vir-  
temberg.



*Nec non CHRISTOPHO RI Sapia, Páxq; GEORGII  
AETernos floret non moritura dies.*

*Pectoris has dotes FRIDERICVS possidet omnes,  
Sunt ea iam dudum carmine nota meo.*

Sibylla Ma-  
ter Dominae  
Sponsae.

Dom. Sponsae  
Fr. Ioan. Fri-  
dericus natus  
Anno 1552.

*En, Genitrix hic invehitur cum prole tenella,  
Qua genus Ascanio de Genitore trahit.*

*Has comes inter erat Princeps FRIDERICVS IANVS,  
Dux pius excelsò conspiciendus equo.*

*Fallor an hic quàm Saxonica discedat ab aula,  
Non renuet Sponsi nomen habere novi?*

*Eliget hic etiam multis è millibus unam,  
Dicere cui possit: Tu mihi sola places.*

*Hac autem fatis bene disponenda relinquo;  
Talia descendunt à Patre cuncta DEO.*

*Tympana iam resonant misto clangore tubarum,  
Augustúm; frequens turba coarctat iter.*

*Tu Pater Albi vale; tueantur numina Cæli  
VVürtembergiacam, Saxonícám; domum.*



ANA-





ANAGRAMMA

IN EORVND  
SERENISSIMORVM SPONSO-  
rum Nuptias,

M. Laurentio Frisæo, P. Lauri Coronato  
conscriptum.

IOANNES GEORGIVS DVX SAXO-  
NIAE: ATQVE SIBYLLA ELISA-  
BETHA DVCISSA VVIRTEMBER-  
GICA: NOVI SPONSI.

ἀναγραμματιζόμενον.

LVX ILLA BEATA, QVA DEVS E-  
GREGIO NOS AMBOS SYDERE  
IVNXIT: NOBIS HINC SPONSIS  
VIVA EST AC REGIA VITA.

**N**VNC LEO surgat ovans & signa det acria lati  
Pectoris, applaudantq, A QVILAE pernicious alis:  
Nunc domito lateant Mavorte minaciter ENSES.  
Paxq, peregrinis circumsonet undiq, terris.  
Nunc ROSA fragrantis nusquam non spiret odores:  
RVTA QVE multiplici vigeat virtute medela

Insignia Do-  
mus Saxoni-  
ca.

SAXO-



Insignia Do-  
mus VVir-  
temberg.

*SAXONICAS* quæ prisca domos Insignia clarant.

Nunc *A QVILA* ærias gyro se flectat ad arces,  
Nuncia letitia cælestibus ignibus adsit;

Blanda voluptatum genitrix modulamine *SIREN*

Alliciat dulci coniunctim Hominesq; Deosq;:

Nunc *CANIS* irriguos latratibus impleat agros

Gaudenti plausu: latentur in equore *PISCES*,

Mutum aliàs genus extemplo muta ora resolvat:

Dura catervatim celeres nunc *CORNVA* Cervi

Sustollant, monstrèntq; vago nova gaudia motu:

Versicolor nota *TESSELLARVM* tristia pellat,

*VIRTEMBERGIACVM* quæ clarant Arma Ducatum.

Illustres thalamos dum par illustre subintrat,

*IANE GEORGI Dux & ELISA SIBYLLA* Virago

Princeps, Teccigenum hæc præfulgida gemma, sed ille

Inclyta Saxonici lux sanguinis inclytus Heros

Qui satus est ab *Avis*, Proavisq; Abavisq; Atavisq;

Inde usq; à primâ prælustris origine gentis.

Christe fave, illustresq; sacro rege flamine tadas,

Corpora bina jugum pariter vincito sub unum,

Ne duo sint, sed corpus idem, mens una, cor unum,

Vna Caro, velle unum, Spiritus unus amantum.

*SAXONICAM* tu prole domum, *TECCAËA Q. rura*

Multiplica numero superent ut sydera cæli:

Et sit idem amborum Votum: *LVX ILLA BEATA,*


*QVA DEVS EGREGIO NOS AMBOS SYDERE IVNXT;*

*NOBIS HINC SPONSIS VIVA EST AC REGIA VITA.*

τῷ θεῷ δόξα

Chro





CHRONOTRASTICHON,

QVO TAM ANNVS NVPTIA-  
rum à Creatione Mundi celebratarum, quàm  
Illustrissimorum Sponsorum nomina, cum ad  
iuncto Voto, continentur.

**P**ectora sVnt thaLAMIS ILLVstrIa IVncta pVDICIS  
E VVirtEMberga, SaXonICaq; DoMo;  
Iano-GeorgVs, ELIsa SibyLLa: benIgne IehoVa  
Da PyLII Cernant prospera seCLa senIs.

CHRONODISTICHON,

Annun d natiVitate Christi complectens:

**P**VLChra SibILLA VenIt Iano IVngenDa Georgo,  
SaXonIs aVgVsto TeCCla VIrgo DVCl.

*Aliud,*

Præter eundem annum, εὐχαρισίαν quoque ad  
DEVM continens pro solennitate nu-  
ptiali feliciter transacta.

**L**AVs tibi sanCta TrIas, fVerat qVla VIrgo IVgata  
Sat bene SaXonia TeCCA DVClIffa DVCl.

Humilimæ observantiæ ergò f.

Marcus Dolmetsch Schorndor-  
fensis VVirtembergicus.

18  
50  
7  
100  
50  
101  
7  
100  
6  
6  
6  
6  
10  
1  
200  
570  
100  
1556



*[Faint, mirrored bleed-through text from the reverse side of the page, including words like "OTTO J. M. WILHELM" and "L. M. WILHELM" visible in reverse.]*

*List. Pars C. 946, 11.*

*H. Pars C. 946 11*